DE
CURATIONE LARYNGIS MORBORUM IN LOCIS IPSIS ADHIBITA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIV. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HUBERTUS LOHMER,
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
L. LANDOIS, DR. MED. PRIV. DOC.
A. EULENBURG, DR. MED. PRIV. DOC.
A. KOEHLER, DR. MED.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO HUMANISSIMO

SUMME MIHI COLENDO

J. BÜRGERS

HASCE PAGELLAS

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VULT

AUCTOR.

Libri, quibus usus sum, hi sunt:

Friedreich. Die Krankheiten des Kehlkopfes. Virchow. Handbuch der Pathologie und Therapie. Bd. V, Abtheilung I. Erlangen 1858.

Rühle. Die Kehlkopfskrankheiten. Berlin 1861.

Waldenburg. Ueber die Wirksamkeit der Inhalationen. Goeschens deutsche Klinik 1862. Nr. 44 ff.

— — Ueber den jetzigen Stand der Inhalationsmethode. Allgemeine medicinische Central-Zeitung 1863. Nr. 18 und 19.

Wedemann. Inhalation medicamentöser Flüssigkeiten. Jena 1862.

Merkel. Die neueren Leistungen auf dem Gebiete der Laryngoskopie. Schmidt's Jahrbücher 1863. Bd. 119.

Lewin. Krankheiten des Kehlkopfes. Berlin 1863.

Panthel. Inhalationskuren und Inhalationsschwindel. Ems 1864.

Czermak. Der Kehlkopfspiegel. Leipzig 1860.
Bardeleben. Handbuch der Chirurgie. Bd 3. Berlin 1864.
Biermer. Zur Behandlung des Kehlkopfs-Croups mittelst Inhalationen zerstäubter Flüssigkeiten. Schweiz. Zeitschrift für Heilkunde. Bd. III.

Laryngis vis, quum sit organum formandae vocis et apparatus a natura respirationi destinata, quum pro valetudine tum toti vitae hominis non est parvi aestimanda. Et hanc ipsam ob rem morbi eius sunt periculosissimi et gravissimi. Saepenumero stat medicus ad lectum aegroti et frustra adhibita medicina eum, quem servare vult, suffocari videt; saepenumero alii atque alii consilium dare cogitur, ut conditionem vitae, quam adhuc habuit, alia commutet, hac sola ratione, quod illa semper nova detrimenta laryngi afferat, neque in ea malis mederi possit. Quid contionator, quid praeceptor, quid politicus aut orator, histrio aut cantor male affecta larynge? adeo privatus homo in tali rerum statu gaudiis societatis renunciare cogitur.

Omnia haec detrimenta medicis iam dudum satis superque erant cognita at saepenumero inscii, quid esset faciendum stabant ad lectum sibimet ipsi

dicere debebant, hic haeret aqua. Neque ullam propter aliam causam, quam quod a recta scientia morbi et porro quomodo esset tractandus destituebantur. Quid quod usque ad medium saeculum praeteritum non nisi acuti et chronici morbi distinguebantur. Postquam tandem anatomia pathologica et physiologia nova via medicinae patefacta est et reiectae sunt obsoletae doctrinae, ut in morbis reliquorum organorum sic in pathologicas quoque res laryngis diligentius inquirebatur, aetiologia earum acutius tractabatur et certa praecepta, quomodo essent tractandae, dabantur.

Crescente cognitione ex iis quae comperta erant ex perspectis cadaveribus, augebantur etiam methodi ad cognoscendos morbos apud vivos. Si antea medici ex mutata respiratione et voce, ex dolore, quem quisque aegrotus sentiebat, ex tussi et sputis cognoscere studuerant morbum, mox intelligebant mutatam respirationem in male affecta larynge saepenumero non inveniri, anomalias vocis maxuma ex parte vix sedem morbi ostendere posse, atque dolorem in multis morbis laryngis nominatim in chronicis aut omnino nullum esse aut nimis exiguum, quam morbo mutatis conditionibus et perturbationibus cognoscendum sit. Cernebant, sputa non multum afferre ad cognoscendum morbum aut laryngis aut tracheae, quum illius elementa histologica nulla re differant ab iis, quae e profundioribus organis respiratoriis oriuntur. Pseudomembranosae particulae et partes cylindriformes, quae in laryngitide

crouposa sputis admixtae sunt, pathognomica quidem sunt symptomata illius morbi at maxuma ex parte tum primum inveniuntur, si iam alio modo cognoscere morbum potuisti. Quam vim attribuebant sensui, quem aegrotus ipse animadvertebat, quum sputa a larynge seiungere sibi videretur, pro nihilo sane aestimanda est, quum sputa, quae ex bronchis oriuntur et aliquamdiu in larynge versantur similem sensum efficiant. Sola igitur certa via ad cognitionem relinquebatur tussis cum sonitu suo proprio in diversis laryngis affectionibus.

Quum inde ab initio huius saeculi leges physices inquisitionis fundamentum usurparent, magis magisque medici his utebantur etiam ad explorationem tracheae et laryngis, et hac re multum profecisse sibi videbantur. Percussione novas formationes in larynge demonstrare studebant at, quae hinc consequebantur non distincta erant. Wintrich percussioni maiorem vim vindicavit, quum ostenderet, si larynx aperto ore percuteretur, sonum semper esse tympanicum, contra clausa glottide et aëre sursum compulso, sonum breviorem et altiorem fieri: hoc fieri non posse si conclusio glottidis maiore defectu impediretur. Quamvis ingeniosum hoc experimentum sit tamen percussionem laryngis methodum ad cognoscendum servare non potuit. Quae inveniebantur pauciora erant alioque modo non difficilius inveniebantur.

Idem dicendum de auscultatione; magna eius vis in cognoscendis organorum in thorace morbis non eadem erat in larynge.

Palpatio patefacit saepenumero dislocationes, saepe ipso levi tactu ortis doloribus verisimilem mali sedem, dislocationes et fracturas singulorum cartilaginum, crepitatione asperas et nudas cartilaginum superficies. Et si hac in re multum errabatur, quod intacta larynge similis crepitatio sentiebatur, si ante columnam vertebrarum huc atque illuc movebatur, tamen palpationis vis erat et nunc quoque est non parvi aestimanda. Maioris etiam momenti est manualis exploratio ab ore facta. Epiglottidis forma, quo modo moveri possit, intumescentia eius et partium vicinarum, neoplasmata, si adsunt, et corpora aliena in laryngis introitu, si aegroti antea aliquamdiu explorationi adsueverunt, certe cognoscuntur.

Gravissimi momenti ad dignoscendas res pathologicas iam antea erat inspectio. Quum mutationes pathologicae in laryngem transeant et vice versa, ex habitu veli palatini, uvulae, pharyngis mutatam laryngem concludere licet. Videntur exsudata crouposa aut diphtheritica in palato molli, pharynge etc. et ex affectione partium pharyngis ad morbum partium laryngis internarum concludi potest. Haec inquisitionis methodus gravior etiam fiebat his novissimis diebus, ubi viam invenerunt aegrotas partes quam habeant speciem sibi repraesentandi.

Experimentum superficiem internam laryngis hominis nondum defuncti ad oculos demonstrandi, ut Moura-Bourouillou (Gaz. hebd. X. 19. 1863) tradidit, primo Bozzini anno MDCCCVII instituisse

videtur; qui reflectore usus est ad cognescendas Choanas. Secunda fere decade huius saeculi Senn speculum adhibuit parvulum ad inspiciendam laryngem, postquam antea tracheotomia erat facta. Babington iam anno MDCCCXXIX melius instrumentum sibi paraverat. Speculum, cui longum manubrium alligatum erat, in pharyngem duxit atque concentratos lucis radios immisit. Instrumentum nominavit „Glottiscop.“ Tali modo epiglottidem quidem se perspicue vidisse at profundiores partes non cognovisse ait. Hoc consecutus est anno MDCCCXXXII Bermoti laryngoscopo quodam, quod construxit Selligues. Trousseau autem et Belloc, qui hoc experimentum in dubium vocaverunt, methodum per specnlum sibi internam faciem laryngis repraesentandi adhiberi non posse crediderunt. Anno tandem MDCCCXL a Liston acuratius, quo modo sit larynx speculo exploranda, definiebatur, neque tamen magno gaudebat applausu. Denique anno MDCCCXLIV duo inveniuntur casus, quorum pathologicae res descriptae sunt, auctore Warden, qui speculo, cui prismatis formam dedit, utebatur. Post hoc tempus laryngoscopiae non dabatur opera et anno MDCCCLV quum Garcia, cantor nobilis, quae ex contemplata formatione vocis collegerat, edidit, experimenta eius aliquantum in suspicionem vocabantur, eaque an recta essent, dubitabatur, donec anno MDCCCLVIII Czermak denuo animum hanc in rem convertit. Quid senserint eo tempore de laryngoscopia ostendit nobis hoc, quod legi-

mus apud Friedreich in eo libro, qui inscribitur: Krankheiten des Larynx und der Trachea (Handbuch der Pathologie und Therapie redigirt von Virchow. Bd. V. Abth. I. Seite 418): Um die Innenfläche des Larynx zu sehen, hat man eigene Specula erfunden, welche in die Tiefe des Larynx eingebracht werden sollen um Kehldeckel und Stimmritze zu beleuchten und diese Theile in das Auge des Beobachters zu reflectiren. Die grosse Schwierigkeit in der Anwendung derartiger Instrumente wird jedoch einer allgemeinen practischen Verwerthung derselben störend entgegenstehen; namentlich werden durch die Anlegung des Instrumentes derartige Reflexbewegungen und Würganfälle erregt werden, dass man kaum die hinreichende Zeit zur genauen Betrachtung der Theile gewinnen kann.

Czermak adhortationem ad adhibendum laryngoscopum mox secutae sunt relationes de pathologicis inventis quae hoc modo assecuti erant. Fides haberi coepta est huic methodo cognoscendi, adhibebatur in clinicis et tam utilem se praestitit ut iam hodie a quoque iusto medico postules, ut huius rei familiaritatem contraxerit.

Ut diagnosis morborum laryngis ita et curatio eorum profecit. Quum invento laryngoscopo morbi laryngis ex internis externi facti essent, eodem modo curari poterant, quo morbi cutis, membranarum mucosarum, quas videre potes; medicinam male se habentibus partibus recta via inducere licebat,

ut brevi dicam, therapiam in locis ipsis laryngis affectis ingredi possumus.

Quantum praestet therapia in locis ipsis adhibita etiam laryngis morborum illi, quae effectum quaerit medicamentis in ventriculum receptis, facile intelligitur. Si omissum facimus, quosdam morbos laryngis medicamentis ventriculo inductis omnino sanari non posse, exempli gratia: neoplasmata, polypos, paralyses etc. in quibus therapia in locis ipsis adhibita curandis splendididissimos successus ostendere potest, etiam in laryngis affectionibus, quae certum habent locum, medicamenta in hoc loco imposita citius et certius sanare possunt, quam quae interna dantur: propterea, quod vis eorum maior est, quia non subiecta sunt mutationi chemicae e succo gastrico, neque in sanguinem recepta effectum habent, sed recta via cum omni sua vi male se habentem partem tangunt. Et in malis laryngis, quorum causa est mala totius corporis vel cuiusvis partis valetudo a locali curatione auxilium petendum, quum hic quoque citius aliquid consequaris, quam si una illa therapia, quae totum afficit corpus, utaris.

Syphilitica, typhosa et illis similia ulcera, si tractas morbos, quibus efficiuntur, sanantur quidem, si autem secundum leges chirurgiae etiam in loco ulcerationes aggrederis, non est dubium, quin sanatio eorum citius fiat. Medicamenta visceribus inducta in morbos aut in singularia symptomata eorum vim exercere cupiunt. Catarrhos, inflammationes et ex iis orta auferre, oedematosas intumescentias secre-

tionibus amovere, quominus novae formationes crescant, impedire, dyscrasiam, quae est causa laryngis affectionis expellere aut nimis molesta symptomata, ut spasmum, tussim, dolores, ut desinant, volunt. Omnia haec exceptis dyscrasiis in loco ipso adhibitis medicamentis non solum eodem modo sed etiam melius consequi possunt. Adstringentia, irritantia, incisiones, scarificationes in loco ipso adhibita catarrhos et ulcera et intumescentias oedematosas prius auferunt, ut neoplasmata omnino amoveantur, praestat, quam ut, quominus crescant, coerceantur, quamvis prospere contingat; spasmus, tussis, dolor in loco adhibitis antispasmodicis et narcoticis citius, tutius, iucundius cedunt, quam si toti corpori medicamentis saepe noceas.

Tamen hac re non intellectum volo medicamenta aegrota larynge in ventriculum inducta supervacanea esse omnino; in morbis quibus totum corpus afficitur, necessaria sunt, in localibus affectionibus saepenumero utilissima. Animos intendatis ad emetica, quibus ad eiiciendas res ex morbis natas carere non potestis.

De variis medicamentis quibus in variis morbis laryngis cum minori aut maiori successu utimur et commendamus dicere in hoc tractatu non mihi in animo est, solum methodos exponam, quibus medici utilitate therapiae in locis ipsis adhibitae cognita medicamenta recta via iam ante laryngoscopum inventum et postea aegrotae laryngi inducere voluerunt.

Primo extrinsecus per partes laryngi vicinas morbos eius aggredi possumus. Frigida aut calida fomenta, deminutiones sanguinis ex vasis capillaribus, productae hyperaemiae et inflammationes cutis et oriente inflammatione mucosae et in ulcerationibus, in quarum vicinitate semper fere intumescentiae inveniuntur, sunt maximi saepe momenti, atque iam ab antiquissimis temporibus iis utebantur medici.

Endermaticae quoque et hypodermaticae applicationis medicamentorum mentio nobis facienda est. Maxuma ex parte ea adhibita ipsa symptomata morborum impugnare possumus et successus huius methodi saepenumero est splendidissimus. Iniecta narcotica spasmum glottidis breviorem facientia periculum suffocationis minuunt; in paralysi glottidis Strychn. nitr. hoc modo applicato optimos effectus vidimus; neuralgiae non sentiuntur; dolorosi impetus tussis, qui in tot morbis laryngis semper aegrotos vexant, minuuntur.

Optime his morbis mederi potes, postquam medicamenta recta via laryngi induci coepta sunt. Primo spongiis aut linteis carptis, quae alligata erant curvis lignis, medicamenta soluta adducere in laryngis mucosam studebant. Bell princeps anno MDCCCXVI hanc rem docuit. Tenebat uno digito epiglottidem, altero spongiam liquore repletam super glottidem comprimens effudit. Apud omnes fere auctoritatem nacta est haec res ineunte secunda huius saeculi decade, auctoribus Trousseau et Belloc. Modus quo adhibetur a medicis Brittani-

cis et Americanis, in quibus nominatim memorandi sunt Scott, Green, Watson, emendatus hic fere erat: Spongia super introitum laryngis ducitur in superiorem oesophagi partem, dum linguae basis instrumento deprimitur. Hac re quum oriantur motus ad deglutiendum et vomendum, quibus larynx tollitur, celeriter spongiam iubent retrahi, ut sit post epiglottidem in introitu laryngis, quo facto, spongiam celeri compressione laryngem versus effundi. Tali modo aliquas guttas in ipsam laryngem venire putabant. Green, qui longiore virga utebatur, per glottidem in superiorem partem tracheae eam venisse dicit et contendit, sua sponte aut in dextrum aut in sinistrum bronchum irrupisse, postquam multis experimentis introitum laryngis partesque ei vicinas, ut facilius tangerentur, aptiores fecerit. Haec valde in dubium vocabantur et existimabant, eum semper in oesophagum venisse. Propterea Watson diligentius in hanc rem inquirebat et acurate modos instrumentorum dixit, quibus per rimam glottidis et maiorum et minorum natu venire possis. Postea Brettonneau penicillo utebatur, quo quae vellet, certe consequi sibi videbatur.

Ut facile est hoc modo medicamenta introitu laryngis applicare, sic quamvis emendes et rationeris difficile est effectum habere in partes altius sitas, imprimis si ut illi viri sine laryngospeculo agere debes. Trousseau et Belloc iam tum hanc ob causam facilius utebantur aliquantum curvatis syringibus similibus iis, quae Anel fecit, ut in la-

ryngem liquorem inferrent. Ut liquor tamquam tenera pluvia applicetur partibus non tantum quarta ex parte substantia necessaria repletur et in reliquo spatio aër retinetur, sed etiam in exitu capitulum porosum alligatum est. Syringe iam satis longe inducta aegrotus multum inspirare iubetur, ut ligamenta glottidis invicem removeantur, et tum aegroto inspirante pistillum celeriter promovetur. Postea syringi alia forma data est: tubulus longus anteriore parte curvatus et foraminibus parvulis instructus pilae elasticae alligatus. Deinde elastica mobilitate pilae tubulum impleverunt et compressione effuderunt. Hoc instrumentum, ut nomen quoque haberet, Syrenen vocaverunt. Trousseau etiam aptius simplici tubulo, quae vellet, se consequi posse contendit, quum liquore eum impleat, linguam adeo deprimat, donec epiglottidem cernat et ex tubulo liquorem super illam porrectam instar pluviae decedere faciat. Fournié commendabat his novissimis diebus deglutitionem qua medicamenta soluta ad laryngem moverentur, quum hoc experimento sibi persuasum haberet nonnullas quidem guttas in laryngem venire. Postquam solutionem tannini satis concentratam imbiberat, globulum parvum, quem soluto ferro immerserat, in suam laryngem induxit ita, ut globulus anteriorem partem cartilaginis arytaenoideae tangeret. Quum globulus extraheretur, statim nigrum colorem accepit.

Hac ex re concludebat, tanninum in laryngem venisse. Hocine rectum sit, ego quidem non discernam.

His modis medicamenta soluta aegrotae laryngis mucosae applicare volebant. Sed ex ratione prospere curatarum aliarum mucosarum experimenta facta sunt etiam medicamentis subtilissime pulveratis. Aut aegroto inspiranti pulverem iniectum, aut aegrotum ipsum inspiratione inhalare volebant. Brettonneau hanc in rem fistulam multa diligentia constructam praeposuit, quae ab aliis diligentius mutata est. Friedreich utebatur duobus caulibus pennarum altero in alterum defixo. Fournié, qui de medicamentis pulveratis num veniant respiratione in organa respiratoria nec ne, plurima experimenta fecit, conicum cylindrum adhibebat ab inferiore parte duo Cmtr. latum; alteri parti, quae accipiat pulverem, apta constructio est, ut admoveatur ori. Hoc instrumento pulverem et in laryngem et si postuletur, in ligamentum unum et alterum glottidis se inflare posse contendit. Alii utuntur syrene, cuius iam mentionem fecimus, in transversali eius parte hiatum, quem claudere possunt, construentes, per quem pulvere impletur, qui compressa pila elastica emittitur.

Aegroto ipso inspiranti, tubulum in ore ponendum praescribunt, in cuius apertura anteriore pulvis inseritur; respirationem violenter facientem aegrotum naribus et ore firmiter clausis simul cum ingrediente aere pulverem in vias respiratorias in se intrahere volunt.

In promptu est his duobus modis uti, si tibi cum maioribus natu res est, difficile in parvulis; ipsi ut

adspirent, nullo modo fieri possit et medicus difficile, si pulverem inflare vult, aptam anxiorum aegrotarum inspirationem exspectare poterit. Utcunque erit, tusses, quae oriuntur, opprimendae sunt, ne medicamenta ex larynge rursus eiiciantur. Ad quod efficiendum subcutaneas iniectiones in cutem super cartilagine thyreoidea praecipue, ut iam supra dictum est, adhibere possunt.

Ceterum quam incerta maxima ex parte haec methodus fuisset, intelligebant invento laryngoscopo, quo rectene se habeat res cognoscere poterant. Semper fere illas tantum partes tactas viderunt, quae ad deglutiendum pertinent. Czermak hanc ob rem laryngoscopum suum ita emendavit, ut oculo duce liquores aut pulveres ipsis partibus, quibus vellet, applicaret; sed illud quoque usque ad hoc tempus non multum in usu est; una ex parte, quia res per se difficilis est, altera, quod alio modo ad finem pervenire potes neque minus prospere.

Idem fere dicendum est de modo, quo cauterium ferculo alligatum laborantibus partibus admovere volebant; quo usus est primus Czermak, quique a Lewin imprimis in teneris neoplasmatibus prospero cum successu petitus est. Maximae difficultates huius rei introducendae, quae longissima exercitatione modo superantur et tam facile et tam vehementer orientes reactiones huic quoque modo applicandi, qui si a doctrinae ratione eum illustraris optima pollicetur, quominus ab omnibus medicis adhibeatur, viam obstruxerunt.

Facilius accepta sunt medicamenta, quae formam gasi, quod dicitur, et vaporis habent. Iam apud Graecos et Romanos invenimus has intentiones. Commendabant ex pectore laborantibus ut in aere maritimo aut silvarum versarentur, imprimis pinorum, et incenso in conclavi aerem medicamentosum efficiebant. Galenus medicamentis, quibus forma gasi erat, aeri qui inspiretur admixtis, mederi aegrotantibus mucosis recta via conatus esse dicitur. Iis quae secuta sunt temporibus haec res negligebatur usque ad hoc saeculum, ubi nunquam exspectati progressus in chemia facti sunt, qui medicorum animos in illam methodum rursus vertebant et multum inpugnatae locum, quo in therapia dignus est, concedebant. Duplici modo adhibetur; aut aegrotum perpetuo gasa, vapores, halitus inspirare iubent qui aeri admixti sunt, consilium dantes ut prope loca, ubi sal paratur, prope maria aut in regionibus silvestribus, in bubilibus, in quibusdam fabricis versentur, in conclavibus, ubi multi aegroti sunt artificiosum aerem efficientes etc., aut medicamenta in tempore maiora et acriora viis respiratoriis afferunt. Quod ut efficeretur constructa sunt varia instrumenta, quae si ea definire vis in dua genera segregare potes; in illis vapores aut gasa in vase formantur et cum aere non mixta per fistulam efflant, ut ore trahantur; in his instrumentis aer etiam inducitur, qui vaporibus admixtis inhalatur. Quoniam ad hunc locum pervenimus mentio quoque nobis facienda est cigarrorum, qui conti-

nent iodum, opium, stramonium, belladonnam, quamquam verius ludus pharmaceutarum, quam locupletatio medicinae aestimandi sunt.

Medicamenta, quae gasi aut vaporis formam habent, quin toti laryngis mucosae et porro aegrotis partibus admoveantur hoc modo, hoc quidem non est in dubio. At non multa sunt medicamenta, quae ita adhibere licet, quum alia omnino in talem formam non redigenda sint, alia maiorem calorem postulent et aestu vaporum detrimentum tantum afferant. Plurima medicamenta aqua solvuntur quae ita formanda sunt, ut facile inspirentur. Aer maritimus, qui ex undis iactatis semper particulis aquae salsae plenus est, iam ex antiquissimis temporibus optimum medicamentum in morbis respiratoriis habebatur; quam ob rem aegrotis, quibus in ipsa ora maritima degere non licebat, arte aerem parare studebant, salem aqua solutum quam maxime poterant tenuem dispergentes atque iubebant hanc nebulam una cum aere inspirari. Primus huius generis apparatus anno MDCCCXXIX a Schneider et Walz constructus est, secundum eandem legem ex qua Pulverisator a Matthieu, qui liquorem opera compressi aeris per angustissimum foramen pellit itaque ipsa vi, quam compressus exercet aer ut nebula fiat, efficit. Has artificiosas nebulas mucosae organorum, quibus respiratur, admovere, hoc tandem anno MDCCCXLVII excogitavit Auphan, qui inhalatorium construxit, ubi aqua salubris in minimas quibus constat particulas dividitur. Non multo post in pago,

cui nomen est Lamotte-les-bains inhalatorium aedificatum est, ubi aqua ex magna altitudine per magnum numerum angustissimorum foraminum se praecipitat. Hirzel anno MDCCCXLV arte aerem maritimum effecit substantias aquae maritimae continentes solutionem in conclavi fontana diffundens. Ad divulgandum hunc modum plurimum contulit Sales-Girons. Hanc novam methodum ex aquis translaturus ut cuiusque medici sit, construxit socio Flubé apparatum, facile mobilem, qui aquam minore quidem ratione sed perfecte diffindit. Hoc instrumentum est vasi simile, cuius auctor est Woulff, super cuius altero collo antlia pneumatica est; per alterum collum descendens ad fundum inductus est tubulus vitreus, cuius superior pars in tenerum acumen extracta est. Aer compressus afficit liquorem, quem continet vas, eumque ad instar teneri radii tanta vi ex tubula adversus orbem convexam pellit, ut in uberam nebulam se dissipet. Orbis est in cylindro aperto et anteriore et posteriore parte; nebula aquosa ex hoc effluens porrecto ore inspiratur.

Brevi tempore post Matthieu eiusdem rei causa alium apparatum construxit, quo ex aqua, quum magna vi compressa una cum compresso aere per angustum canalem pellatur, nebula fit.

Eadem ratione qua uterque horum apparatuum factus est usque ad hoc tempus omnia inhalotionis instrumenta constructa sunt. Anno MDCCCLXII apparatum a Matthieu constructum hoc modo

Bergson mutabat. Tubulus vitreus perpendicularis in tenerum acumen extractus mergitur in vas medicamentis solutis repletum; ad exitum tubuli alter alligatus est ita ut angulus rectus formetur; ambo tubulorum cacumina proxima sunt. Uno cum tubulo follis conjunctus est, quo aër per obliquum canalem pellitur. Hic fluit super acumen fistulae; in hac fit spatium aëre vacuum; liquor in altum accendit et ex acumine egressus, est tenera nebula.

Aëre et folle his novissimis diebus vaporem et vas Papinianum mutantes construxerunt simplicissima facillimeque tractanda instrumenta, quae effectu superiores apparatus aequant, propter vilitatem multo superant, ideoque privatae praxi aptissima sunt.

In defendendis ex doctrinae ratione his methodis certamina non aberant. Una pars, suis experimentis confisa concludere volebant nihil liquoris dissipati in laryngem venire, inhalatoria nihil prodesse, contra humidum aërem rheumatismum efficere, hancque ob rem reprobanda esse inhalatoria. Alii freti multis et optimis experimentis sententiam ferebant liquorem ingredi in vias respiratorias imprimis si capite reiecto inflexio cavi pharyngis ubi in laryngem transgreditur minor facta esset. Opera nostorum doctorum virorum, qui hanc rem investigaverunt, imprimis Lewin et Waldenburg, quanti pretii sit inhalatio ad evidentiam demonstratum est. Si initio homines plus exspectabant, omnibusque morbis hoc modo mederi se posse putabant, hoc

quidem non est mirum. Omne novum oriens plurimos habet fautores et postea per multum tempus adhibitum, iustis finibus coercetur. Ipsi tam elati successus in laryngitide crouposa inhalatione aquae calcis effecti maxuma ex parte, omissis formis, in quibus in nostra regione exsudatum e tenerioribus bronchiolis adscendit, multum expectationes fallunt. Contra inhalationes in plurimis morbis inflammatae laryngis utilissimas esse, iis, quae varii hoc modo utentes autores effecerunt, satis intelligitur.

Electro-therapia quoque his novissimis diebus vim suam sanandi in impedita mobilitate musculorum laryngis, si in loco ipso adhibetur, ostendit. Sin autem usque ad hoc tempus pauci tantum successus huius curationis cernuntur, nullum tamen est dubium quin fluidum electricum in loco ipso applicari possit et sicut aliorum musculorum sic et glottidis paralyses tolli possint. Plurima experimenta adhibito fluido electrico publicavit Türk, attamen parvos effectus vidit. Stofella narravit casum (Wiener med. Wochenblatt 1862. 19. 20.) ubi ei cum paralysi sinistrorum constrictorum glottidis res erat, quam fluido electrico, quod inductione provocatur, tractavit, ubique statim post primum experimentum vox multo clarior facta esse dicitur. Brenner (Petersburger med. Zeitschrift VIII. 1865) tractavit intoxicationem ex hydrogenio-phosphorato, quae praeter alia symptomata graviter impediam motilitatem musculorum, imprimis laryngis ostendit fluido electrico primario et post longiorem curationem multum profecit.

Abscessus neoplasmata, tumores in laryngis regione desiderant chirurgicam tractationem, etiam hic inventis novis instrumentis, quibus inspicere possumus laryngem, haud negligendus progressus factus est. Lewin anno MDCCCLXII octoginta omnino casus male affectae laryngis neoplasmatibus collegerat antequam laryngoscopo utebantur, quorum sex tantum recte intellecti, tres tractati erant. Ex quo autem utimur speculis magnus numerus novarum formationum in larynge a variis medicis, in quibus primum locum habent Bruns et Lewin, optimo successu remotus est, partim quidem cultris hanc in rem constructis partim in locis ipsis adhibitis cauteriis. Neque dubium est, quin illa methodo, quae apud uos galvanokaustische appellatur, multi alii tumores amoveri possint.

Hae fere sunt methodi, quae si in loco ipso male se habentibus partibus mederi vis, adhiberi possunt. Multae quidem, ut iam antea dixi, obsoletae sunt, quod in usu et incerti suscessus et molestae sunt in adhibendo. Inhalationes autem latissime iam pervulgatae non facile fore putamus ut e thesauro medicaminum removeantur. Si in laryngis morbis usque ad hoc tempus pauci tantum, qui bona praediti erant excercitatione usi sunt operationibus chirurgicis, tamen mihi quidem opus esse videtur, unum quemque medicum ad hanc rem magnum studium et multam operam conferre, quod quin progrediente disciplina medica futurum sit, non est in dubio.

VITA.

Hubertus Lohmer natus sum die VIII mensis Martii a. h. s. XL. Coloniae, patre **Adolfo**, matre **Christina** e gente **Steinbüchel**, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus per annum unum frequentavi gymnasium Coloniense „ad Marcellos", per annos tres et dimidium gymnasium Monasteriense. Tum me contuli ad gymnasium Paderbornense, quod maxime florebat auspiciis directoris beat. **Ahlemeyer.** Semestribus quinque in hoc gymnasio peractis testimonio maturitatis ornatus auctumno anni LXI almam Gryphiam petii, ubi ab Ill. **Baumstark** rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus apud Ill. **Budge**, decanum maxime spectabilem medicorum ordinis, nomen professus sum. Per octo semestria audivi desserentes:

Ill. **George**: de logice, de psychologia et anthropologia.

Ill. **de Feilitzsch**: de physice experimentali.

Ill. **Muenter**: de zoologia universali et speciali, de botanice physiologica et systematica generali, de botanice medica et pharmacognosia botanica. **Idem** dux mihi fuit in excursionibus botanicis et zoologicis.

Ill. **Huenefeld**: de mineralogia.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia et splanchnologia; de physiologia experimentali, de embyrologia, de physiologia organorum sensuum. Idem dux mihi fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi et in exercitationibus microscopico-physiologicis.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia, de chondrologia et osteologia, de anatomia comparata.

Ill. Ziemssen: de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia et therapia generali.

Ill. Limpricht: de chemia organica et anorganica; de chemia physiologica.

Cel. Schwanert: de chemia analytica, de chemia forensi, de chemia pharmaceutica.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae, de morbis mulierum, de morbis neonatorum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali, de morbis systematis nervorum, de psychiatria, de auscultatione et percussione. Idem dux mihi fuit in clinico medico.

Ill. Mosler: de morbis renum, de psychiatria. Idem dux mihi fuit clinico medico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de herniis, de morbis thoracis. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus institutis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica speciali. Idem dux mihi fuit in exercitationibus anatomiae pathologicae.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicas rite concinnandi.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice. Idem dux mihi fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis.

Exp. Heineke: de syphilide et morbis cutis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas. Plurimum autem debeo Ill. Budge, cuius summa liberalitate per tria semestria munere assistentis in instituto anatomico-physiologico functus sum, nec non Ill. Ruehle et Ill. Mosler, qui maxima benevolentia munus medici auxiliarii in instituto clinico medico mihi tradiderunt.

THESES.

I.

Theoria Darwiniana reiicienda est.

II.

Amputatio femoris operationi a G r i t t i *propositae anteponenda est.*

III.

In laryngitide crouposa inhalatio aquae calcis nihil valet.